



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

collegiata sunt canonicos (nisi parochi sunt) teneri nolumus ; cum in ipsis eorum Ecclesijs certos conventus constituturi simus inter eos ; idque etiam in quibusdam frequentioribus Ecclesijs Collegiatis quæ in diocesi sunt , statuemus .

Decretum . XXV.

Parochi ante conventum sacerdotale constituantur. Prou. . pa. de vic. foraneis pag. 27.

SI quis animarum curator, qui diocesanis conventibus interesse debet, die ante quam conventus habetur, ut Concilij nostri provincialis decreto edictum est, vel eo ipso die mane confessus non erit; huic illius diei Conventu Vicarius Foraneus interdicit, nummoque aureo præterea mulctet, quem egentibus hominibus attribuat in ea parochia, cuius parochus hoc erratum admisit.

Itē sacerdotes, & reliqui in Synodo diocæsalia.

Quo præterea die posthac diocæsane Synodi initium fiet, eo ipso die mane omnes & singuli qui in Synodo adesse debent, ritè primùm confessi, sacerdotes quidem sacrosanctum Missæ sacrificium offerant; reliqui verò inferiores clericij sanctissimam Eucharistiam sumant.

Decretum . XXVI.

Clericis à diocæsibus sine facultate abesse non liceat.

NE clericis qui sacris ordinibus initiati sunt, quive ecclesiasticum beneficium, idque etiam nullius curæ obtinent, ijs amplius octo dies continenter à diocesi nostræ sinibus abesse liceat, nisi literis nostris data ipsis huius rei facultate.

Prou. . x. de Residentia, pag. 10.

Nihil tamen potesterea ijs derogatum putetur, quæ & Tridentino, & provinciali Concilio, & edicto nostro, de Curatorum residentia, aut de alijs decreta sunt, qui etiam à beneficijs suis absunt.

Decretum . XXVII.

Clerici sine licentia ne laicis operantur. Prou. . i. par. 2. de negotijs secularibus à clericis fugien.

VT quæ nostro provinciali Concilio sancita sunt, ea non patiamur vllomodo ab ijs negligi, quorum causa illa decreta facta sunt; idcirco clericis beneficium ecclesiasticum obtinentibus, alijs item qui sacris ordinibus initiati, laicis hominibus quouis gradu dignitateve præditis, in quocunque vllomunere aut officio obeundo, vel quavis causa illorum domi in vrbe forisve operam suam narrant; ijs omnibus & singulis edicimus, vt dimissa hac Synodo, mensē post ab il-

lis laicorum ædibus abeant, nisi literis nostris permillum eis erit iusta causa perseverare.

Si quibus verò huius rei hætenus potestas facta est, id eo ipso præstito tempore nobis denuncient atque ostendant. Qui contra fecerit; ab ordinis sui munere tamdiu amotis ipso iure sit, quoad nobis videbitur, arbitrataque nostro præterea mulctetur.

Decretum . XXVIII.

QVICVNQVE in actionibus publicis baculum, ferulamve, aut rem vllā aliam ferre solent, quod sua dignitatis insigne sit; ij in ijs ipsis publicis munerum functionibus semper insigne tale adhibeant.

Insigne dignitatis officijve quando adhibendum.

Quoniã verò veteri huius sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ vsu & consuetudine illud institutum est, vt Parochi urbani, caputium quod est eorum insigne, ferant, quo à reliquis qui animarum curam non habent, internoscantur; idcirco eisdem iubemus, vt illud institutum retineant; ita vt si qui id eorum insigne (cuius extremam partem interiorem fascia limbove coloris viridis vestiri iubemus) per urbem non induant; mulctæ cuique sit, quoties contra fecerit, nummus aureus locis pijs arbitrio nostro attribuendus . qua pœna is mulctetur etiam si comprehensus non esset, modò id testatum fieri alia ratione possit.

Parochi caputium ferant.

Hoc autem decreto teneri nolumus, neque Metropolitanæ Ecclesiæ canonicos ordinarios, neque alios item collegiarum Ecclesiarum Canonicos, eosve qui in his ipsis Metropolitana collegiatisve Ecclesijs officia obtinent ecclesiastica; idque eo solum tempore, cum ipsi canonici, aut ecclesiastica officia obtinentes, vel processiones, vel alias actiones, p muneris sui ratione collegiatim obeunt.

Decretum . XXIX.

CLERICIS iter habentibus quavis vestitu contractiori vt licebit, at decentem tamen illum, atque eiusmodi esse oportet, ex quo eos esse ecclesiastici ordinis homines agnosci facile possit. Cum verò ij ex oppidis, alijsve nostræ diocæs-

Clericorum vestitus in itinere, & pileus item.